UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§.8. Bellum inferi Deus peccatoribus per Præsatores, velut per stellas: idcirco illis malum exoptant, sicut hi Lazaro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53104

Visual Library

miraculorum lucernas, quibus ſeipſum Chriſtus
manifeſtabat, ceteris multò clarior radiabat La-
zarus à mortuis ad lucem vitamque reuocatus.
Quod ſi Dauid & quidem meritò cenſuerit, cœ-
los Dei gloriam enarrare, & magnam eius poten-
tiam ac diuinam declamare maieſtatem, ſic vt
etiam cæcis eius oſtendant excellentiam, eo
modo quo cauſam indigitant effectus; quantò
magis potuit Lazarus eſſe præco clariſſimus, &
euidentiſſimus gloriæ Chriſti manifeſtator?
Cœlum hoc extendit, & hanc Chriſtus vt vlti-
mam accendit lucernam: *Vt clarificetur filius*
V. *Dei per eam.* Hæc illum expoſuit ſic, vt non eſ-
Mali bo- ſent oculi, quamuis valde lippi & cæci, qui illum
nos conã- non viderent. Idcirco manum attollunt contra
tur elimi- hanc lucernam, voluntque eam extinguere: quia
nare. tenebras omnes diſcutiebat, & vmbras fugabat,
quas nequam eorum malitia contra Chriſtum
in populo diſpergebat.

15 Qua de cauſa Herodes fulgentem hanc ex-
tinxit lucernam, & D. Ioannem trucidauit? Ad-
ulter erat & inceſtu pollutus: lucerna verò lu-
xuriam eius prodebat, & radios illos emittebat
omni ſole clariores: *Non licet tibi habere vxorem*
Matt. 9, *fratris tui.* Idem aduertit D. Chryſoſtom. de Ne-
18. rone diſputans quare D. Paulum vinculis con-
Hom. v- "ſtrinxerit. Totus obſtupeſcit orbis videns Pau-
nica "lum catenis alligatum: *Vincula ea manifeſta fa-*
qua ha- "*cta ſunt.* Quis ergo eum carceri mancipauit, quis
betur "vinxit, quis concluſit? Reſpondet D. Chryſoſtom.
poſt ex- "*Nero eum in vincula coniecerat: quippe quemadmo-*
poſitio- "*dum prædo aliquis domum cunctis dormientibus in-*
nem Ep. "*greſſus, vt auferat omnia, ſi quem viderit accendere*
ad Phi- "*candelam, illum mox interimit, & lumen extinguit,*
lip. in "*vt auferre & rapere alia abſque metu poſſit: ita &*
illud: Si- "*Nero tunc latronem & furem quendam agens dor-*
ue per "*mientibus omnibus profundoque ſomno grauatis om-*
occaſio- "*nium bona diripiebat, nuptias inuadebat, domos ſub-*
nem ſi- "*uertebat, nullumque malitiæ genus intermittebat.*
ue per "*Proinde mox, vt beatum Paulum vidit in mundo ac-*
&c. To. "*cendere candelam, & efferre ſermonem doctrinæ, quo*
4. "*ſua reprehendebatur iniquitas, quo omnia facere*
"*licenter poſſet, curauit vt extingueretur prædica-*
"*tio, & interficeretur magiſter. Itaque vinctum ſan-*
"*ctum illum coniecit in carcerem.* Hoc Neronem
"mouit, vt Paulum ergaſtulo concluderet, vitam-
que ei auferret, nempe quo lumen doctrinæ il-
lius extingueret, cuius virtute non toleranda Ne-
ronis cunctis patebat iniquitas.

VI. Lucerna Lazarus erat; qui tantùm ſe oſten-
Veritas dendo, & horum ſe oculis objciendo, lingua mi-
odium nimè loquendo: dicebat tamen illis: *Non licet vo-*
parit. *bis.* Attende quanta ſit illa malitia, non minor
quam diabolica, velle vitæ auctorem interficere,
qui verus eſt Deus omnipotens, de morte trium-
phator, de quo canitur illud: *Qui educit vinctos* Pſ. 67. 7.
in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant, qui ha-
bitant in ſepulchris. Hanc D. Gregor. dicit eſſe ra- Lib. 16. mor.
tionem, quare reprobi deteſtentur iuſtos, & vir-
tutis amatores: ſunt enim vt lampades quibus
eorum delicta manifeſtantur, quas idcirco toto
conantur ſtudio extinguere. Quis rationem di-
cat, cur Manaſſes impius ille lucidam illam ex-
tinxerit lampadem Prophetam Iſaiam, quem iuſ-
ſit ſerra medium diſſecari: niſi quòd ſacrilegas il-
lius argueret & proderet idololatrias? Quare, di-
cito mihi, ſacerdotes voluerunt in puteum de-
mergere, & demerſerunt lucernam illam ſplen-
diſſimam vatem Hieremiam: niſi quòd luce ſua
fulgidiſſima profanorum reuelaret hypocriſes?
Quid vrſit Satrapas Danielem neci tradere Lu-
ciferum illum clariſſimum: niſi quòd eorum fal-
ſas aperiret proditiones?

Hanc veritatem confirmauit ille, quem Diu. Hom. 8. de
Chryſoſt. ſolem appellat mundi, D. Paulus, ſcri- laudibus
bens, Galatis, qui eum & perſequi, & afficere cõ- Pauli.
tumelijs intendebant. Videamus, & facti huius
rationem inquiramus; quando vos primùm ac-
ceſſi, *Sicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chri-*
ſtum Ieſum. Tanto me amoris affectu proſecuti
eſtis, vt mihi palpebras oculorum dare deſidera-
retis: *Teſtimonium perhibeo vobis: quia ſi fieri poſſet,* Gal. 4. 15.
oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Hoc
tunc temporis fiebat: verumtamen nunc, nec vos
læſi, nec grauaui, nec aliquid commiſi pœniten-
dum: hoc tantùm egi, Veritatem vobis annuntia-
ui, mentem veſtram illuminaui, nec alia ſubeſſe
poteſt tantæ ratio indignationis: *Ergo inimicus*
vobis factus ſum verum dicens? Perſcrutemur, in-
quit D. Paulus rationem illius, & aliam non eſſe
conſtabit; & hæc eadem eſt, ob quam prædicator
odio habeatur: quia nimirum clarè loquitur ſuo-
que perfectè & laudabiliter fungitur officio, quo
nempe lux dicitur mundi: & Confeſſarius, qui
vulneri manum apponit, vultque illud indagare,
perrimari, & penetrare.

**§. 8. *Bellum infert Deus peccatoribus per Prædi-
catores, velut per ſtellas: idcirco illis malum
exoptant, ſicut hi Lazaro.***

EA igitur de cauſa mortem hi Lazaro me- 14
ditantur: quia per hoc quod ſe viuum oſtẽ-
debat & omnium oculis ſuis actionibus
ſpectabilem, lucerna erat clariſſima, rebellium

eorum prodens machinationes; omneſque quas texebant, cogitabant & contra Chriſtum moliebantur inſidias, quibus auctoritati diuinæ virtutis eius quàm poſſent maximè derogarent. Hoc omne peccatorum eſt ſtudium & hic eorum conatus, vt candelas faceſque extinguant, quas Deus accendit, quibus manifeſtet, & exponat peruerſas ſcelerum eorum & iniquitatum machinationes. Hinc eſt quod Daniel ait de Antichriſto quod omnes ſit vires ſuas expoſiturus, vt fortitudinem cœli euertat, & ſtellas inde deijciat:

Dan 8.10. *Vſque ad fortitudinem cœli, & de fortitudine & ſtellis.* Phraſis eſt loquendi S. paginæ valde frequens, qua ſtellas dicit eſſe fortitudinem cœli & exercitus eius: quia omnis eius virtus per quam regitur & conſeruatur ſuſtinet, & habet in mũdo ſuperioritatem, in illis conſiſtit: vnde vbi nos legimus: *Igitur perfecti ſunt cœli, & terra & omnis ornatus eorum:* habetur hoc verbum *Sabbaoth*, quod ſignificat *Exercitum* q.d. Perfectum eſt cœlum & exercitus illius. Sic legimus in Deutero-

Deut.17.3 nomio: *Solem & lunam, & omnem militiam cœli:* & idem alijs locis.

I. Prædicatores ſtellis comparantur.

Deſcribit illas eleganter Spiritus ſanctus agens de dignitate & præcellentia operum Dei: nam poſtquam ſolis expoſuit pulchritudinem, & lunæ venuſtatem, infert de ſtellis: *Vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cœli reſplendens glorioſè.*

Ecc.43,10. *Species cœli gloria ſtellarum, illuminans mundum in excelſis Dominus, In verbis ſancti ſtabunt ad iudicium, & non deficient in vigilijs ſuis.* Verbum illud *Vas caſtrorum* denotat inſtrumenta bellica, fortes exercitus. Tales ſunt in cœlo ſtellæ; ſuis etenim ſplendoribus, & aſpectibus militant, conquirunt & diſponunt terram: cœlum formoſum efficiunt, & per ipſas orbem Deus illuminat: vel, ut milites ad nutum ſtant paratiſſimæ, vt diuinis obediant ordinationibus: hoc eſt: *In verbis Sancti ſtabunt ad iudicium.* Nam in Græco habetur: *Continuo ſtatim.* Nullos inuenias milites ita ad nutum paratos ſui Ducis Imperio, quàm illæ promptè diuinæ obtemperant iuſſioni: numquam dormiunt, impediuntur numquam quo minus ad diuina conuolent ſtatim imperia.

II. Deo ſunt ad nutum paratiſſimi.

Per hoc exponere voluit Spiritus S. quàm ad manum parati ſint hi milites & cœlorum exercitus, vt Dei iuſſa perficiant, & ſicut de talibus agit de illis in eo prælio quod Dominus commiſit contra refragum illum Regem Siſaram:

Iud.c.5.20. *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt*: Inſurrexerunt in Siſaram eiuſque copias ſtellæ velut milites ſuo ordine digeſti, nec in minimo ab iniuncto ſibi munere à Centurione deficientes. Simili quoque phraſi dixit Baruch: *Stellæ lumen dederunt in cuſtodijs ſuis & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt: adſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Baruc.3.34.35. Quàm eleganter deſcribit ſtellas; verumtamen ibidem nos monet Spiritus ſanctus quod maiora nobis velit indicare ſub illis latentia. *Multa abſcondita ſunt his maiora.* Ecc.43.36. Sub illarum ſymbolo prædicatores accipit, & ſanctos Doctores, quibus dixit D. Paulus: *Lucetis ſicut luminaria in mundo*: Phil.2.15. Nam propriè depingit illos nomen illis imponens militum, & legionum quibus Deus præliatur.

III. His Deus præliatur & vincit.

Videamus quibus armatus militibus mundum ſibi conquiſiuit. Quibus exercitibus bellum indicit diabolo, mundo, carni? Numquid ipſis Prædicatoribus? Attende, dum aſcenderit in cœlum, mundi totius intendens ſubiugationem, quales ad hoc elegerit? Illos ſcilicet, quibus imperauit: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marc. 16.15. Illos, inquam, quibus iniunxit: *Ite, ecce ego mitto vos*: Matt. 10.16. etenim vires, quibus exercitus illi bellabũt, vires non ſunt corporales; non æneis tormentis, non bombardis, ſed animæ fortitudine præliabuntur: vires ſunt illæ, quibus ſubditur intellectus ſubiugatur volũtas, & corda cõquirũtur. Ad hoc optimi exercitus & fortiſſimi ſũt exercitus & copiæ lucis ſtellarũ, quæ colluſtrat, calefacit, lucemque ſpargit limpidiſſimã: *Siderum limpidæ flammæ, limpidum ſtellarum lumen.* Sap.17.5. Et calorem infundit viuificum quo in viſceribus terræ producitur aurum argentum, cæterique fructus. Hæc eſt prædicatorum ea vis, lux pura & viuificans Euangelij, qua colluſtrati intellectus, inflammatæ voluntates, corda emundantur, & animæ ſubijciuntur. Mirabiles ſunt illi milites, qui cœlum Eccleſiæ reddunt formoſum, mundum illuminant, & procedũt iuxta ordinem à Deo ſibi præſtitutum, promptique adſtant, eius præceptum executuri: *In verbo Sancti ſtabunt ad iudicium.* Adſtabunt in pedes erecti, firmi, conſtantes & ſecuri, verbis ſancti hoc eſt promiſſis fulti diuini ſubſidij, & ſecuri, verbis ſancti hoc eſt, promiſſis fulti diuini ſubſidij, & comitantiæ, quodque profectis ad prædicationis exercitium illis Deus ſuum miniſtrabit adiutorium: *Prædicauerunt vbique Domino cooperante.* 15

Quis Apoſtolos tutos reddidit in prædicando? quis eorum erexit fiduciam? Dei verbum: *Ecce ego mitto vos.* Deinde verbis illis conſtantes erunt & fortes vt ſuos vincant inimicos: eo etenim ſenſu hæc verba poſſunt accipi: *In verbis ſancti ſtabunt ad iudicium.* Eorum vires, quibus opera ſua perficient, eſſe debent verba Dei: hæc etenim

ſunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſunt illis prædicanda, hæc declaranda, his innitendum, hic baculus illos fulciturus, cui prophetæ innitebantur: *Hæc dicit Dominus.* His carnis ſuæ cultorem proſternent; Attende carnis ſpurcitia deteſtande, quid tibi minetur Deus: quòd tibi ſtratum præparauerit ignitum quo corpus illud ita opiparè à te exceptum exuratur. Animo perpende pecuniarum auidiſſime, quid tibi loquatur Deus: quòd tibi viſcera miſericordiæ ſuæ concludet, cum tua pauperi concludas immiſericors. Conſidera fœnerator, hoc tibi Deum atteſtari: tuum à diabolo exſugendum eſſe ſanguinem, cum tu ſanguinem ſugas egenorum. Hoc opus illarum eſt ſtellarum, per hoc fortiſſimo impugnant prœlio diabolum, mundũ & carnem, ſuis adiungendo prædicationibus vigilias, ieiunia & orationes: vt alijs proficiendo ſeipſos minimè perdant: ſimiles illi ſtellæ matutinæ D. Paulo ita ſcribenti: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar.*

1. Cor. 9. 27.

IV. Diaboli detegunt inſidias. 2. Cor. 6. 5.

Et non deficient in vigilijs. Non dicit: *Deficient in vigilijs,* ſed *in vigilijs:* eſſe namque debent cõtinuæ vigiliæ & multæ, continua & multa ieiunia: ſicut idem ipſe de ſe teſtatur: *In vigilijs multis, in ieiunijs.* Illis Chriſtus militibus prœliatur, ſuoſque obtinet triumphos victor illuſtriſſimos. Sicut Anti-Chriſtus venturus Chriſto aduerſarijs omnes ſuas impendit vires, totumque robur contra militiam Chriſti, ſtellas iſtas cœli limpidiſſimas: *Militia cœli:* etenim hæ dolos illius & inſidias & machinationes detegent: illas deijcere conabitur, certò ſciens in his cœli conſiſtere fortitudinem; in illas omnem ſuam exeret potentiam, qua illas de cœlo præcipites agat virtutis omnis & ſanctitatis. Hi tales Anti-Chriſti hodie conueniunt, omneſque vires ſuas dirigunt in Lazarum, hanc ſtellam à Chriſto reaccenſam: nec non omnes Domini huius inimici, dæmones & mundani vires ſuas integras explodent contra ſtellas illas, ſanctiſſimos Prædicatores: quia tenebras eorum illuminant, & aperiunt inſidias, quos meritò comparaueris Regi Syriæ qui totius ſui robur exercitus, currus falcatos & equites direxit contra Eliſeum: ipſe etenim Regi
4. Reg. 6. Iſrael inſidias illius dolos & retia detegebat, quo fiebat vt obtenta non gauderet intentione. Porro quæ ratio ſubeſt, quod nullam videamus ſtellis illis moueri perſecutionem? Quomodo totus non conſpirat mundus in faces illas ardentes, prædicatores illuminantes?

Faxit Deus hæc non ſit illa ratio, quam indicat Ioel Propheta: vidit enim quod lucem ſuam retraxiſſent, nec auderent radios ſuos manifeſta-
te ſplendidiores: *Stellæ retraxerunt ſplendorem* Ioel. 2. 10.
ſuum: non enim lucem diffundunt ſplendidam, ſed obfuſcatam. Lux veſpertilionem tantùm offendit, quando ſolis inſtar clarè rutilat, non autem dum obfuſcatur, quinimo prodit quando dies quaſi inter duas luces apparet: vt veſperi & hoc illi tempus propriè conuenit; furem & homicidam non turbat lux permixta, velut lux crepuſculi, quæ ſufficit vt phantaſma viri alicuius in communi conſpiciatur, porro non detegit ſitum ſingulorum in particulari: quinimò hæc ex vna parte illi prodeſt, vt videat cui manum inijciat, & ex altera cooperit illum ne cognoſcatur quis ſit in particulari. Peccatores non moleſtat lux media, & tenebris permixta, quæ rerũ phantaſmata manifeſtat in communi: non illi tædioſus eſt prædicator qui inuehitur in vſurarios, cõcubinarios, vindicatiuos, qui ſpectra detegit impudicitiæ, cupiditatis, & ambitionis in communi illa deteſtatus, calumniatus, qui vociferetur: caue tibi fœnerator; etenim te laqueo diabolus habet irretitum, quo te deijciat; væ tibi carnis tuæ farcinator: diabolus enim tuam poſſedit animam; tibi conſule vindictæ flagrantiſſime: non enim tui Deus miſerebitur, qui proximo tuo non miſereris.

V. Sed dolendum quòd lumen ſuũ aliquando rettrahant.

VI. Similitudo.

Hæc omnia potius illos recreant, quia Chriſtiani ſunt & expedire iudicant, vt vitia reprehendantur: hoc autem illis moleſtum eſt, ſi prædicator & confeſſarius ſingulorum facies diſcooperiat, ſi tibi dicat cum Baptiſta. *Non licet tibi:* Hic contractus eſt vſurarius, ego te non abſoluam, niſi illum reuocaueris & reſcideris, & ablata reſtitueris: hic concubinatus amicæ, non poteſt vlterius tolerari: nam ciuitatem totam ſcandalizas, factus omnibus lapis offenſionis: nec tibi beneficium abſolutionis impertiar, niſi prius renunciaueris occaſionibus. Hoc quis agit? *Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Sufficit nobis lucem diffundere ſine ſplendore tenebroſam & permixtam, vnde nobis nullas ſuſcitant moleſtias: ſi lux eſſemus rutilans, ideo nos, vt illi Lazarum, impugnarent.

§. 9. Cogi-